



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Prophetia Apocalyptica S. Joannis Apostoli**

**Kircher, Heinrich**

**Coloniæ Agrippinæ, 1676**

§. III. De clade Antichristiana.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39100**

Tonus eorum: tùm præsertim in Palestina & in urbe Jerosolyma: ubi jungent hi ambo Prædicatores ad retrahendos Israëlitæ à cultu Antichristiano; ipsi cum suis affectis, quos unà secum tuebuntur divinis prodigiis. De his illud S. Hieronymi quæst. 111. ad Algal. *quomodo virga Moysi devoravit virgas eorum* (Exod. 7. v. 12.) *ita mendacium Antichristi, Christi veritas devorabit.* etenim falsa miracula veris suis destruent, & indefesso zelo per se suosque testimonium Deo vero, circumferent, ac potenti Scripturarum sacrarum oppositione pseudo-propheetiam ejus expugnabunt.

Hoc est novissimum prælium: in quo utrimque arma expediuntur, ducibus hinc Antichristo, illinc duobus Testibus: ex parte illius seductio, prodigia mendacia, intentata vis: ex parte horum doctrina Legis & Prophetarum, miracula vera, patientia, & omnis cataphractura, ut dicebamus ex Ephes.

6. Apostolica qua hi duo sese & Christianos armabunt. Eo eventu quem S. Scriptura promittit, fore ut convertatur cor filiorum ad patres eorum, & restituantur aut instaurentur omnia.

3. Donec ipsi magni Testes Christi, sic enim dicti sunt per antonomasiam, & Testium Duces, unà cum aliis multis, testimonium prædicationis suæ finiant testimonio sanguinis, quem fundent ad extinguendum simul Antichristum.

Erit tunc tripudium brevissimum & triumphus Antichristianorum, aded ut duorum occisa corpora exponant in plateis ad ludibrium & ad exemplum. Sed enim eos moriendo vicisse manifestum fiet, quando post dies tres & dimidium suscitati divinitus assumentur in Cælum: prout dictum est Apocalypseos 11. non sine fremitu & amulâ subito id temporis machinatione Antichristi; de qua §. sequente.

Et per  
martyri-  
um vi-  
ctores,

### §. III.

#### *De clade Antichristiana.*

Anti-  
christus  
post Te-  
stes duos  
ascen-  
det.

1. **D**iximus in Caput 11, Tractatu 12. fore ut resurrectionem prædictorum Testium vocet in invidiam Antichristus ac damnet ceu fallacem & magicam. Ipse verò irritatus instituet suummet ascensum palam omnibus in Cælum, utpotè Dominus Cæli in quod se recipiat ut suum, & ascendat descendatque quoties collibuerit. Omitto quod existimâruat

quidam, simulaturum fuisse mortem & resurrectionem: pro quibus S. Gregorius lib. 11. epist. 3. obiter, & dum alia tractat, hoc solum dicit: *mori se & resurgere simulat.* Ut ut est: elatus superbiâ & impatiens moræ, fremens invidiâ, detestatus admirationem communem super duobus Testibus, implebit illud quod Daniel in fine Capituli undecimi prædixit, ex ortho-  
xorum



xorum apud S. Hieronymum, quem citabimus inferius, expositione de Antichristo: fore ut figat *solum suum* (hæc est enim interpretatio vocabuli *Apadno*) in monte Oliveti, æmulus Christi, Illic inter acclamationes suorum, qui ad illam accurrent solennitatem, præstigiosissimè cinctus ministerio scilicet Angelico, attolletur à dæmonibus in sublime.

Peribit Sed incipienti evehi occurret S. Mi-  
dejectus: *chæel* cuius mentio sequitur Dan. 12. v. 1. *Princeps magnus*, fugabitque dæmones, & erit nemo ex suis qui auxiliabitur ei. Destitutus auxilio deturbabitur ictu fulminis: dehiscente ei terrâ, sicut Core & familiæ ejus Num. 16. v. 33. atque, ut isti, vivus id est repente in descensu occisus, eodem temporis momento deglutietur abysso inferorum: & cum eo Bestia, Regnum totum infidele, præcipitabitur atque immergetur in abyssum. Tota enim simul

Iple & Bestia in Infernū. *Bestia* seu collectio infidelium reproborum accipitur hoc loco instar unius: & pronuntiatur de ea, eadem vel simili phrasi qua in Capite 20. v. 14. dicitur; *Infernus & Mors missi sunt in stagnum ignis*; in quod v. 9. & 10. dixerat præmissos *Bestiam & Pseudo-prophetam*. Congruit huic Bestiæ illud S. Irenæi lib. 5. cap. 29. *ut in ea confluens & conclusa omnis virtus apostatica in caminum mittatur ignis*.

Ergo APPREHENSÆ EST, ait Apocalypsis v. 20. BESTIA ET CUM EA PSEUDOPROPHETA. Et: VIVI MISSI SUNT HI DUO IN STAGNUM IGNIS ARDENTIS SULPHURE. Quia

& iste percussus divinitus interibit: & extinguetur Regnum infidelitatis, Antefignanis illius & Patronis relegatis in gehennam.

Juvet jam audire de Antichristi illo fine Daniele cap. 11. v. 45. *Et figet tabernaculum suum Apadno, inter maria, super montem inclitum & sanctum: & veniet usque ad summitatem eius: & nemo auxiliabitur ei*. In quem locum S. Hieronymus, expulso Porphyrio qui omnia de Antiocho Epiphane nitabatur exponere, ita scribit: *Nostri autem extremum Visionis hujus Capitulum super Antichristo sic exponunt: Et cum fixerit Tabernaculum suum inter duo maria mare mortuum & mare magnum: Tunc veniet usque ad verticem montis Oliveti, qui inclitus vocatur, quia ex eo Dominus atque Salvator ascendit ad Patrem. & nullus Antichristo poterit auxiliari, contra se Domino sciente. Et asserunt ibi Antichristum esse periturum, unde Dominus ascendit ad Cælos. Apadno verbum compositum est: quod si dividas, intelligi potest ὁ πῶς αὐτῶν, soli sui. Et est sensus: Et figet Tabernaculum suum & thronum suum inter maria, super montem inclitum & sanctum. Hæc Hieronymus ex prophetia Danielis.*

3. Fient hæc, postquam præfuerit illi suo Regno Monarcha absolutissimus & Pseudo-Christus, mensibus 42. qui sunt anni tres & dimidius; seu dies 1260. Post hanc computationem temporis tam ordinatam, tam & diligentem & facilem ac planam, quorsum illa opinio recentiorum quorundam, qui supervicturū putant Antichristum

Danielis  
vaticinium.

dies



Dies triginta ascensui duorum Testi-  
um; Etenim reductionem Judæorum,  
quam perurserant hi Testes, & ad quam  
disposuerant animos plebis, intricant,  
ac periculo exponunt tamdiu super-  
stitis Antichristi; nullo Scripturæ aut  
Traditionis fundamento. Nam Da-  
nielis cap. 12. v. 11. & 12. alius est sensus;  
de quo alibi. (Tract. seq. §. 3.)

Explica-  
tur locus  
Aposto-  
li;  
De inter-  
fectione  
spiritu  
oris,

Et illu-  
stratione  
adven-  
tus.

Porrò quod apud Apostolum 2.  
Theff. 2. v. 8. dicitur de Antichristo :  
*Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui*  
(vel ut Isa. 11. v. 4.) *Spiritu labiorum*  
*suorum;* & *destruet illustratione adven-*  
*tus sui eum cuius est adventus secundum*  
*operationem Satanae* : hanc recipit expo-  
sitionem, interficietur Antichristus  
spiritu id est iussu oris & imperio labio-  
rum Christi: (cui iussisse fecisse est,  
ait S. Hieron.) & contra eum, cuius  
fuit adventus secundum operationem  
Satanae, prævalebit adventus illustra-  
tionis & operationis gratiæ qua destru-  
cturus est tenebras Antichristiani Re-  
gni & illuminaturus gentem tamdiu  
cæcam, de qua idem S. Apostolus  
Rom. 11. v. 25. *cæcitas ex parte contigit*  
*in Israël; donec &c. veniet ex Sion qui*  
*eripiat.* Adde, quòd de adventu Do-

mini possit eo in loco explicari Apo-  
stolus ex S. Augustino lib. 20. de Civ.  
cap. 5. sicut *multa alia quæ de ultimo*  
*judicio dici videntur, pertinentia (in-*  
*quit) ad eum Salvatoris adventum quæ*  
*per totum hoc tempus in Ecclesia sua*  
*venit.*

Postremò tò *adventus sui* facillimè  
exponitur ac si dicat: tunc quando illi  
veniet. Venit enim unicuique quando  
adest finis vitæ ejus, & monet vigilare  
ac paratum inveniri quando veniet.  
Antichristo autem venturus est illu-  
stior & celebrior modo ac vindictâ.  
Cæterùm adventus Domini ad judi-  
cium nondum erit: sed tamen indi-  
cium erit luculentum propinquan-  
tis.

De interitu autem per fulmen, ceci-  
nit etiam Sibylla l. 3. Orac. *Potestas*  
*ardens & inundans in terram veniet, &*  
*Beliar incendet.* Quòd si quidam e-  
normiter impii divinjtus sunt percussî,  
ut inter alios Julianus apostata cœlesti  
telo de quo videre licet Theodoret.  
lib. 3. hist. cap. 20.) quanto id magis  
convenit Antichristo. unâ cum perti-  
nacibus iis qui fuerunt præcipua instru-  
menta seductionis.

## TRACTATUS XXX.

### IN VERSUM ULTIMUM CAPITIS XIX.

Nihilne divina Apocalypsis habeat de præcipua re futura, quæ  
est conversio Judæorum? habet verò: sed suâ phrasi subli-  
mi & in mysterio verborum sequentium.

Pars II.

N

VERBA